



Petrus Tugij apud Heluetios natus, & in bonis literis à pueris educatus est. Is cum literarum fundamenta in patria iecisset, sese ad Parisiensem academiam contulit, atque Græcæ & Latinæ linguæ, ipsisque liberalibus artibus magna diligentia incubuit. in ijs etiam adeo profecit, ut uiris doctissimis merito coniungeretur. Postea in patriam redijt, ac Tiguri inter linguarum professores susceptus fuit. eam functionem is magna laude obiuit, atque sua eruditione Heluetiæ patriæ ornamēto fuit. Nam Ecclesiasticos ueteris Testamēti libros Latinè reddidit, optima fide, diligentia summa, ex collatione plurius codicum, & puritate Latini sermonis adhibita. Pa-

ri ratione Dictionarium Latino germanicum absoluit, & 1541 Tiguri publicauit. Reliquit etiam Grammaticam linguæ Gallicæ Latinè scriptam, & Germanicis exemplis illustratam. præterea libellum de conspicijs. Cum hoc modo bonis studijs iuuandis uacaret, anno 1542 eodem die, quo uersionem suam Biblicam typographus absoluisset, immatura morte Tiguri functus, & honestè sepultus est. Con. Gess. in Bibl.